

dominus Electus, & Canonici constituerunt se possidere dictam Ecclesiam S. Philippi cum omnibus pertinentiis suis nomine dicti Sindici, & dicti Monasterii S. Mariæ dantes licentiam Abbatissæ, & Monialibus, & Sindico dicti Monasterii intrandi in possessionem ipsius Ecclesiæ S. Philippi, & univrsarum rerum ejusdem sua auctoritate quodcumque voluerint nulla alia requisitione facta, vel facienda absolvendo dictum monasterium ab univrsis, & singulis taliis, exactionibus, angariis, & parangariis, quæ aliquo modo peti, vel recipi possent perpetuo per dictum Episcopum, & capitulum, & successores eorum pro dicta Ecclesia, & rebus ad eam, & dictum monasterium pertinentibus, salvo censu annuo, qui ex parte dicti monasterii præfatis electo, & capitulo solvi debet prout inferius continetur, & salvo jure decimationis, si quid dictus Episcopus, vel capitulum, vel aliquis alius habet in dicta Ecclesia, vel rebus dictæ Ecclesiæ, quibus dicto domino electo, & capitulo, vel alicui alii non fiat aliquod præjudicium per supradictam oblationem, & concessionem circa decimationem. Insuper præfati dominus electus, & capitulum confirmaverunt, & ratificaverunt omnes donationes, cessiones, & acquisitiones, quæ a patronis ipsius Ecclesiæ factæ fuissent vel aliquo alio modo justo. Et ibidem suprascriptus Syndicus nomine dicti monasterii de Latronorio, & auctoritate sibi concessa ab Abbatissa, & Conventu dicti monasterii de Latronorio, sicut per prædictum constat instrumentum, quod ego infrascriptus Notarius legi in prima figura non cancellatum, non vitiatum, non abolitum in aliqua parte sui in signum devotionis promisit, & convenit dictis dominis electo, & capitulo dare, & persolvere annuatim nomine census septem libras ceræ in festo Purificationis B. Mariæ conductas in civitate Aquensi, videlicet libras quatuor Domino Episcopo, & libras tres cum stariis duodecim grani capitulo, aliouin omnia damna, & dispendia, quæ prædicti dominus electus, & capitulum inde facerent, vel haberent pro dicto censu recuperando idem Syndicus nomine dictæ monasterii eis restituere promisit, atque ipsos exinde conservare indemnes. Et pro prædictis univrsis, & singulis observandis auctoritate sibi concessa a dicta Abbatissa, & conventu præfati monasterii omnia bona ipsius monasterii eidem domino electo, & capitulo pignori obligavit, & inde instrumentum si oportuerit fieri præceperunt. Interfuere testes rogati Domini Petrus Archipresbiter de Deago, Araudus Bentius, frater Messonerius, Gosellinus de Bestagno, & Henricus de Tertio. Ego Opizo de Monte Morixino Notarius jussu dictorum dominorum Electi, & Capituli, & Sindici hanc cartam scripsi. Ego Ubertus Not. Pal. mandato D. Alberti Aquensis Episcopi prædictam cartam factam a prædicto Opizone sicut in ea continebatur, ita & in isto scripsi exemplo, & eam autenticavi ec. Ego Bonfilius Not. Pal. autenticum suprascr. vidi, & cum dicto Uberto Not. auscultavi, & me subscripsi.

Subjeçtio Ecclesiæ S. Siri Ecclesiæ majori de Alexandria.

MCCLIII.

212

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo, quinquagesimo tertio, indictione undecima die lunæ, primo decimo cal. septembris (1). In Alexandria D. Bonifacius Eccl. Alexandr. Archidiaconus, D. Bernardus Cantor, & Præpositus majoris Ecclesiæ Alexandriae, & D. Presbiter Jacobus Præpositus S. Martini de Gamundio, D. Samuel Guascus, D. D. Ubertus omnes Canonici Ecclesiæ majoris Alexandriae, & nunc deservientes, & residentes in ea nomine, & vice, & a parte capituli Alexandrini habita prius maxima deliberatione, & inspecta utilitate ipsius Ecclesiæ sancti Syli de Roboreto, quæ minus honeste serviebatur, & inspecto honore majoris Ecclesiæ Alexandrinæ confirmant, & ratificant contractum habitum, & factum inter Brognonum de Pilo Clericum, & Ecclesiæ sancti Syli de Roboreto, suo nomine, & aliorum Clericorum ejusdem Ecclesiæ ex una parte, & fratrem dominum Velleretum procuratorem Humiliatorum suo nomine, & ipsius Domus, & fratrum, quorum procurator est ex altera de datione, & concessione per prædictum Brognonum suo nomine, & Clericorum dictæ Ecclesiæ sancti Syli, prædicto fratre prædicto nomine, & nomine ordinis majoris Humiliatorum de Ecclesia prædicta sancti Syli, & de domibus, & sediminibus, & pertinentiis ipsius Ecclesiæ possessionibus, & juribus Ecclesiæ sancti Syli, & ad ipsam Ecclesiam pertinentibus, & confirmarunt, & ratificarunt omnia ea, & singula, quæ in dicto contractu, & instrumento continentur. Inde factum per dominum de Negro Bono Notario hoc eodem anno die Sabbati augusti proxime præteriti, & ipsis omnibus in dicto instrumento continentibus sua auctoritate ex parte capituli Alexandrini interposuerunt, hoc acto, & expressim dicto per pactum in continenti habitum inter prædictum Archidiaconum, & Cantorem, & prædictos Canonicos nomine, & vice capituli majoris Ecclesiæ Alexandrinæ ex una parte, & prædictum fratrem dominum Velleretum procuratorem, & domus, & fratrum Humiliatorum prout continetur in instrumento procuræ inde facto a Bonifacio Notario 1253 indictione undecima (1) die lunæ 13. exeuntis augusti successores ipsorum, sive præpositus Humiliatorum ipsorum semper, qui pro tempore fuerint in dicta Ecclesia perpetuis semper, & singulis annis mittere unum sacerdotem ad Ecclesiam majorem Alexandriae in die Sabbati sancti Pentecostes ad Ecclesiam majorem ad Baptismum . . . per vigilia * Beati Petri & in festo ad missam & facere, & servire supradictis diebus Officium sedis, quod fuerit ei injunctum a Cantore, & debeant prædicti fratres in signum subjectionis, & reverentiæ Beati Petri, & Ecclesiæ Alexandrinæ mittere duos cereos librarum trium ceræ singulis annis in vigilia supradicta. Et